









1689,

- 19^{a, b}
= Mullerus, Petrus: De fictionibus seu dominis,
quam juris. (Dazu eine Erläuterung von Justav Böhmer 1924)
- 20^{a, b}
= Mullerus, Petrus: De juris episcopalis in terris
protestantium a Romanis Catholicis injuste proce-
ptis a reviviscentia. 2 Sumpt. 1689: 1
21. Mullerus, Petrus: De mutatione libelli.
22. Mullerus, Petrus: De non omittendis in processu
inquisitorio
23. Mullerus, Petrus: De prohibitione alienationis
conventionali occas. l. 3 C. de con. det. ob. caus. dat.
- 24^{a, b}. Mullerus, Petrus: De contraria testium depositione
2 Sumpt. 1689: 1711
25. Mullerus, Petrus: De his, quae in fraudem legis
fiunt.
- 26^{a, b, c}
= Mullerus, Petrus: De onere dotandi filias illustres
patrum a patribus nati. 3 Sumpt. 1689: 1714.

1689

27. - - -

28. Muench, Joh. Christopherus: De testamento filii fami-
lies.

29. Pott, Johann Henr.: De providentia Tutorum.

30. Pott, Johann, Henr.: De actionibus praesudicialibus.

31. Pott, Henricum Balther, Fr. jur. decum: ad lectionem
cursoriam Joh. Guilielmi Pfemlingi invitat.

32. Schroeterus, Christianus: De editione actorum publico-
rum et l. 2 P. de edendo.

33. Schubarthus, Georgius: De ludis equestribus.

34. Stevoglius, Joh. Philippus: De modis, summi cum suppli-
cium requirendi, conservandi et amittendi.

35. Stevoglius, Joh. Philippus: De rei nummulariae muta-
tione et augmento 2 Saupl. 1689-1742

36. Stevoglius, Joh. Philippus: De victore titio

- 37^{a st} = Stenius, Georgius Adamus: De juribus palatii
principalis. 3. Editio. 1689. 1737.
38. Stenius, Georgius Adamus: De auro fluviatili.
sive ore Wash. Gold.
39. Stenius, Leonhardus Christophorus: De variis veritatibus
inveniendis methodis
40. Walther, Daniel: Historia Galliae Imperatoris
41. Wedelius, Georgius Wolfgangus: De bile eoque morbis.





11
Q. D. B. V.
DE

354/5
1689,20

**IURIS EPISCOPALIS
IN TERRIS PROTESTANTIUM
A ROMANO CATHOLICIS IN
IUSTE PRÆTENSA**

P. 354.
REVIVISCENTIA

P R A E S I D E

PETRO MÜLLERO I C T O.
CONSIL. SAX. PANDECT. PROFESSORE CURLÆ
PROVINCIALIS FACULTATIS JURIDICÆ ET SCABI-
NATUS ASSESSORE.

MENSE FEBRUAR. c 10 10 C LXXXIX

IN AUDITORIO ICTORUM

PUBLICE DISPUTAVIT

PHILIPPUS GVILIELMVS DREES
PFEDELB. HOENLOICUS.

VITEMBERGÆ, RECUSA c 10 10 CCXXXVII. (6.)

Jena



17
D. R. V.
DE
IURIS EPISCOPALIS
IN TERRIS PROTESTANTUM
A ROMANO CATHOLICIS IN
IUSTE PRÆTENSAS

REVIVISCENTIA

P. R. A. S. I. D. E.

2
P. T. R. O. M. U. L. L. E. R. O. I. T. O.
CONS. SAX. P. A. N. D. I. C. T. P. R. O. F. E. S. S. O. R. E. C. U. R. I. E.
P. R. O. V. I. N. C. I. A. L. I. S. F. A. C. U. L. T. A. T. I. S. I. U. R. I. D. I. C. I. S. E. T. S. C. A. B. I.
I. T. A. L. I. S. A. S. S. E. S. S. O. R. E.

M. E. N. S. A. T. E. R. M. A. N. I. S. C. A. S. T. R. I. A.

IN AUDITORIO IOTORUM

P. R. A. S. I. D. E.

PHILIPUS GAUBELMVS 3333

P. R. E. D. I. C. T. H. O. E. N. L. I. G. I. U. S.

17
P. R. A. S. I. D. E.



I. N. D. N. 7. C. A.

PROOEMIUM.

Altius rimanti Statum Curiae Romanæ, qualis per plurima jam sæcula fuit, & adhuc est, facile innotescet summa ipsius a pristina illa Ecclesie facie, primorumque Ejus Episcoporum Exemplo discrepantia. Fidem ipsam, quam Ecclesie Episcopi primis a Christo nato sæculis professi sunt, & sanguine suo consignarunt, infandis postmodum superstitionibus a Pontificibus Romanis eorumque Asseclis corruptam, totque pravarum Doctrinarum & Traditionum inquinamentis infectam silentio prætereo, mores solummodo Eorundem maxime diversos intuiturus. Expers olim erat Majestatis Episcoporum Romanorum potestas, nullius Ambitionis conscia, modestiæ ac humilitatis, & præsertim

sertim reverentiae erga summas potestates plena. Sed quantum mutatus sit ab illis hodiernus Episcopus Romanus, titulorum non solum, quibus insigniri amat, numerus demonstrat, quem nobis exhibet D. Becmann. in Notit. Dign. Illustr. Diff. 3. c. 3. n. 1. & D. ff. 13. c. 1. n. 12. Verum etiam testatur summa & incredibilis ferme arrogantia, qua ductus supremam & Monarchiam potestatem non modo supra omnes in toto orbe Ecclesias & Ecclesiasticos, sed & in omnes Christianismi & Orbis Politias affectat. Quem enim latet, quomodo Pontifices Romani ultimorum seculorum sensim Invalescente superstitione Imperatoriam Majestatem mox excommunicationum fulminibus, mox etiam armis concusserint, donec penitus ruere & labascere ceperit; Quo factum, ut eximium illud Jus circa sacra Principibus ereptum, Pontificibus atque Episcopis Romanis assereretur, qui Imperium in Episcopatus sibi sumere, ipsisque pro lubitu frenum injecere; Donec tandem iterum Deo clementer annuente per Pacificationem Religiosam (qua irrita sane Reipublicae Romano-Germanicae parentandum fuisset) ad ipsos rediit primarium illud stabilimentum Principalis Majestatis; cujus in testimonium Pragmatica Sanctio J. P. qua Pax Religionis ejusdemque Libertas Statibus Imperii

perii juratur, exhibita est. pr. R. J. de anno 1654. Nondum tamen penitus extingui poterant illi arrogantiæ & affectatæ Majestatis stimuli; non enim modo multa contra transactionem illam omnesque articulos in instrumento pacis Westphaliæ contentos, qui ipsis quomodocunque officere poterant, tentarunt, licet inepto ausu & irrito labore; Sed etiam adhucdum nescio qualem Reviviscentiam Juris Episcopalis in Territoriis Statuum Protestantium sibi imaginantur & prætendunt. De qua nonnulla nutu & ductu Venerandi Dn. Parentis conscribere, & disquisitioni publicæ subijcere placuit. Quod quidem argumentum illustre & arduum facilem mihi (quippe cui nec ætas, nec ingenium tanto labori sufficiens) potuisset injicere remoram, nisi jussus paternus me existimare fecerit, optimum Parentem nihil fore imperaturum quod tantis difficultatibus implicatam de felici exitu me dubium facere posset. Quod si ergo illud pro dignitate sua tractatum non fuerit, imbecillitati partim ingenii & juvenili ætati, partim vero temporis penuriæ Benevolus Lector tribuat, & quod in magnis etiam voluisse sat sit, cogitet, est quod obnixè rogo. Totam autem tractationem duæ Sectiones absolvent, quarum prior generalia præmittet, de Jure Episcopali vel potius circa Sa-

A 2

cra,

cra, tum ex mente Pontificiorum, tum ex sententia Augustanae Confessioni addictorum. Posterior vero progressum faciet ad magis specialia, ipsamque illius juris prætensam Reviviscentiam considerabit.

SECTIO PRIOR.

CAP. I.

Deducens Sententiam Pontificiorum de Competentia Juris Episcopalis.

SVMMARIA.

- I. *A generalioribus initium capiendum.*
- II. *Episcoporum Romanorum ambitiosa extorsio juris circa sacra.*
- III. *Capita adempti Juris Episcopalis.*
- IV. *Quid in specie ratione cognitionis causarum Ecclesiasticarum habendum.*
- V. *Quo jure quoque titulo jus circa Sacra ipsis competat.*

§. I.

Antequam de infrunita spe, quam de Reviviscentia Juris Episcopalis in Territoriis Statuum Augustanae Confessioni addictorum concipiunt Romano-Catholici, accuratiorem instituam disquisitionem, operæ pretium videtur prælibasse eorundem sententiam quam de competentia istius juris fovent, hac enim non accurate pensitata & discussa vereor, ne omnem in sequentibus perditurus sim operam, quam semper inanem deprehendere licet, ni ab origine causisque rem repetamus, discernamus, & expediamus, ut loquitur Plinius *l. 1.*

Ep. 22.

Ep. 22. simulque ut recentia ita antiqua perpendamus cum eodem l. 8. Ep. 14.

§. II.

Scilicet postquam Imperatores atque Status seculares per ambitionem seu hierarchiam Pontificis Rom. & Cleri usu Juris circa Sacra exciderunt, illudque in territoriis suis amplius exercere veriti sunt, (quod tamen optimo jure ipsis licuisset) sive ex cæca & superstitiosa reverentia, qua se Romanæ sedis obstrictos credebant, sive ex præconcepta opinione satis erronea, qua inducti solis Episcopis & Archiepiscopis Sacrorum curam relinquendam esse putabant; Romano Catholici interim potestatem omnem & jurisdictionem ecclesiasticam vindicarunt Pontifici Romano, utpote summo Episcopo, cæterisque purpuratis Patribus atque Episcopis, (unde etiam Juris Episcopalis appellationem natales ducere luculenter apparet) eamque a Majestate Civili, & Jurisdictione territoriali Statuum secularium omnino separatam voluerunt. Id quod expresse innuit *Bellarminus l. 1. de Rom. Pontif. c. 7.* ubi eos erroris arguit, qui Principes seculares optimates Ecclesiæ dicant, doceantve, Ecclesiæ curam & regimen ad eos pertinere; ac proinde taxat Regem Angliæ, quod ille se ipsum caput Anglicanæ Ecclesiæ constituerit, aliosque Reges in regnis & regionibus suis idem juste imitari ac facere posse censuerit, *cit. Weber. tr. de Jure consistor. c. 14.* Et hinc est, quod Pontifex Rom. se caput universale Ecclesiæ Christi, quod & Imperatoribus & Regibus præcipere possit, nec non Judicem generalem omnium de fide controversiarum, & causarum religionem concernentium vocari amet, quod satis perspicue adstruunt illa Bonifacii VIII. ad Philippum Pulchrum Regem Galliæ: Deum time, & mandata ejus observa; Scire te volumus quod in Spiritualibus & temporalibus nobis subes; aliud credentes hereticos reputamus. *Lat. comp.*

hist. univ. p. 294. spectat huc imprimis horrenda illa atque execranda Bulla quam Romæ Anno 1558. publice affigi iussit Paulus IV. in qua iis Principibus Regibus & Imperatoribus perpetuam maledictionem & Bannum, remotionemque minatur, nisi suæ voluntati & mandatis paruerint, sequere Regibus cunctis esse superiorem, & Regnorum immutandorum potestatem habere asseruit. Conf. Petr. Suavis *hist. conc. Trident. p. 357. 460. &c.* ut taceam alia, quæ impudenter plane versus Imperatores atque Reges Pontifices eructare haud erubere, ab aliis quippe prolixius jam expensâ & discussa.

§. III.

Ne autem omnia confundere videar, duabus potissimum partibus hanc de sententia Pontificiorum circa competentiam Juris Episcopalis tractationem absolvere lubet. Quarum altera jura potestati illi affectatæ annexa recenset; altera autem explicabit, quo jure, quoque titulo illam potestatem sibi asserant Pontifices atque Episcopi Romani. Istam ut legitime persequar, sequendum duxi ductum Juris Canonici, quod jus Episcopale dicit potestatem Episcopo legitime Electo, postulato, confirmato, investito, consecrato atque ordinato circa omnia negotia & causas Religionem concernentes competentem; Eiusque primaria capita tribus præcipue partibus complectitur. (1) *ordine*; (2) *Diocesana* (3) *Jurisdictione*; quibus aliis inter quos Laurentius Ohm. *Tr. de Jure Episcop.* adjiciunt quartam, nimirum *dianitatem seu statum*. *Quoad ordinem* itaque sibi adjudicant: Jus docendi verbum Dei, & administrandi Sacramenta; ligandi & absolvendi, ordinandi, introducendi & investiendi; ædificandi sacra loca autoritate propria, vel etiam indulgendi ut alii ædificent &c. *Quoad legem diocesanam*: Dispositionem, administrationem, ac gubernationem rerum ac bonorum Ecclesiæ

clesiæ tam mobilium quam immobilium; Canonicam obedientiam ac subjectionem omnium de Diœcesi & Laicorum & Clericorum; constitutionem provisorum super bona Ecclesiæ; & rationum de iisdem repetitionem; inspectionem domuum religiosarum; perceptionem ac distributionem decimarum; visitationem, convocationem synodorum in Diœcesi; functionem Cancellariatus in Academiis; &c. *Quoad jurisdictionem*; Jus causas clericorum civiles, criminales, ac spirituales; causas autem Laicorum tantum spirituales cognoscendi & per sententiam definiendi; pœnas Canonicas & seculares decernendi; Clericos ab officio ac dignitate removendi; censuram ecclesiasticam exercendi in omnes Diœcesanos tam Laicos, quam Clericos; dispensandi de gradibus non jure Divino, sed Canonico prohibitis in negotiis matrimonialibus; creandi Tabelliones seu Notarios publicos; exequendi ultimas voluntates &c. *Quoad statum s. dignitatem*: titulos illustres; præcedentiam, qua antecedunt & antecellunt statibus Laicis; potestatem coronandi, ungenti ac consecrandi Imperatores & Reges; &c. conf. D. Haveman. *rr. pe jure Episcop. tit. 2.*

§. IV.

Atque hæc sunt jura ista, quæ nomine Juris Episcopalis Episcopi Papani juxta Canonici juris dispositionem sibi olim vindicarunt, quorumque plane incapaces Principes seculares pronunciare, non dubitarunt, ac proinde & in ipsorum territoriis illorum exercendorum potestatem sibi tribuerunt; adeo, ut nec leges ipsos ferre posse de rebus atque negotiis Ecclesiasticis, nec de fide seu Religione disponere, nec personas Ecclesiasticas, earumque bona ac possessiones suo imperio subicere, nec denique causas clericorum civiles ad forum spirituale seu consistoriale, quod ipsis plane denegare non verentur, trahere temerario ausu adstruant. Quem in
finem

finem etiam Papa Bonifacius *c. nullus Episcopus 8. XI. qu. 7.* ita sanxit: *Nullus Episcopus neque pro criminali causa apud quemvis judicem sive civilem sive militarem producatum vel exhibeatur. Magistratus enim qui hoc jubere ausus fuerit, amissionis cinguli condemnatione plectetur.* Idem habetur in *c. si quæ causæ 26. XI. quæst. 1.* ubi Innocentius Papa disponit: ut si quæ causæ vel contentiones inter Clericos, vel inter Laicos & Clericos oriantur, illæ non ad Judicem secularem sed ad Episcopos ejusdem provinciæ deferantur, absque iis terminentur. Latius hæc exprimit Bellarminus *l. de Cler. c. 28.* qui inter alia ita scribit: *Clerici non possunt a Judice politico puniri, vel ullo modo trahi ad secularis Magistratus tribunal; Summus Pontifex Clericos exemit a subjectione Principum; Non sunt amplius Reges Clericorum superiores.* conf. Weber. *tr. de Jure Consistor. l. c.* Imo quoties Christiani Imperatores Romanum Clerum sibi in ordinem redigendum pristinoque statui reddendum sumserunt semper resistentes experti sunt Romanos Pontifices. Quæ etiam causâ erat cur Paulus V. Sub initium seculi hujus Ducem Senatūque Venetum ob exercitam in Clericos suos potestatem excommunicaverit. vid. Læt. *Hist. Univers. p. 452. ibique citati.*

§. V.

Quo jure autem, quoque titulo Jus Episcopale sive potius potestas circa sacra asseratur ab Episcopis Romanis speciose satis proponunt. Scilicet provocant ad ipsum jus divinum, exque eo ita inferunt: Quod sicut cura sacerdotum omnis durante veteri Synagoga vel uni summo Sacerdoti, vel certe Levitis ab ipso Deo commissa fuerit, nec fit verisimile, Ecclesiæ statum synagoga esse inferiorem; ita in quavis Rep. Christiana Majestas illa circa sacra ad Sacerdotes vel unum vel omnes pertinere debeat. Accedunt quæ porro

porro pro tuenda illa potestate de Christo Salvatore comminiscuntur, illum scilicet omnia Imperia & regna mundi in Exaltatione sua recuperasse, & Cæsarialisque Principibus per Apostolos suos abstulisse, atque Pontifici Romano ejusque Assëclis Episcopis contulisse; id quod quidem deducunt ex illis Christi ad Petrum Apostolum: *Tibi dabo claves Regni cælorum. Matth. 16. v. 19. Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. v. 18. & pasce oves meas. Joh. 21. 25. vid. c. relatum 14. XII. qu. 1.* Deinde etiam cujusdam Præscriptionis titulo se munire satagunt, & tanto tempore, bona fide, justa & haud interrupta possessione ex libero omnium gentium consensu illud Jus exercuisse prætendunt. Et quæ sunt alia, quæ astruendæ suæ competentiæ substernere non erubescunt.

CAP. II.

Continens Sententiam Augustanæ Confessionis addictorum de Competentia Juris Episcopalis.

SUMMARI A.

- I. Majestati seculari jus circa Sacra competere; II. probarur ex Jure Naturali; III. Et Divino; tum exemplis sacris IV. tum Dictis Scriptura; V. demonstratur ex principiis Politicis VI. exemplis Græcorum Et aliarum gentium; VII. exemplis Romanorum; VIII. Testimoniis ipsius Juris Canonici. IX. Status Imperii sub concessa jurisdictione territoriali acquisivisse simul jus circa Sacra; X. idque competiisse jam ante Transactionem Passaviensem.

B

§. I. Sub.

§. I.

Subjicienda nunc quoque venit Sententia Augustanæ Confessioni addictorum de Juris Episcopalis competentia, ut eo felicius ad id, quod nostri est instituti progredi liceat; insimulque quantum erroris, quantumve temeritatis; cum hæc, quæ jam proposui, tum quæ ex ipsis eruunt; & in sequentibus discutienda sunt, involvant Pontificiorum præjudicia constet. Cum autem protestantes fundamentum atque basin juris Episcopalis constituent jurisdictionem territorialem, idque Majestati civili unitum velint, dispiciam prius oportet; *An Majestati civili jus circa Sacra competat?* Id quod quidem, ut facilius me expediam, tam ex Jure Naturæ & Divino; quam principiis Politicis & potissimarum Rerumpublicarum exemplis dabo demonstratum.

§. II.

Initio autem in memoriam revocandum illud in vulgus notum: *Hominem natura esse animal civile atque sociale*, ipsique a Natura insitam esse singularem ad Societatem Civilem ineundam & rite colendam propensionem; ut non inconcinne dixerit M. Grotius in *Proleg. de J. B. & P. Inter hæc quæ homini sunt propria, est appetitus Societatis &c.* Quo posito omnino sequitur: Quod Natura quoque suadeat media omnia civilis Societatis recte colendæ, & adipiscendæ beatitudinis ex illa redundaturæ; quia a quo principio civili Societati facultas ad hunc finem tributa est, ab eodem & facultatem ad omnia illa media, quæ morali necessitate ad obtinendum eum requiruntur, accipit. Medium autem ferme primarium, imo ultimum & firmissimum civilis Societatis vinculum esse Religionem, nemo facile negabit; quod ingenue confiteretur Lactantius *l. de ira Dei c. 12.* inquit; *Religio & timor Dei soli sunt, qui*
custo-

custodiunt hominum inter se Societatem. Quod si igitur ad beatitudinem Civitatis & civium vere & proprie facit Religio, seu cultus divinus, vere quoque & proprie conveniet Majestati Civili, quæ recte vult Societatem suam gubernari, ut non minus ad hanc quam ad aliam aliquam virtutem civilem cives suos qua præmiis qua pœnis adstringat; ut opposita Religioni impietatem, & superstitionem, societati quippe ad quam natura nos ducit, maxime perniciosa eliminet; adeoque cura Sacrorum non minus illi a natura & naturæ autore Deo erit commissa, quam quæ alia ex officio ipsi incumbunt ad beatitudinem civitatis & civium promovendam; Et, ut verbis efferam *Saavedræ Id. Princip. Christ. Pol. Symb. 24. ad Principis officium omnino spectabit rueri in terris suis Religionem, & verum Dei cultum promoverè, ranquam qui Vicarius ejus est in temporalibus, ut gubernationem ad majorem ipsius gloriam & subditorum incolumitatem dirigat.* Atque ita suffragante *Levecotio in Flor. p. 187. Religio a Principe castissime conservari atque observari debet.* Ubi enim nulla Religio observatur, ibi neque fides (ad quam servandam lex naturalis omnino obligat) & societas humani generis, neque una omnium perfectissima virtus justitia *Nov. 69.* persistere potest, sed confusum aliquod & rude rerum omnium chaos, a quo tamen Jus Naturæ abhorret, deprehendatur necesse est. Conferri hic merentur, quæ habet *Conring. Dis. de autor. & off. Maj. civ. circa Sacra lib. 59. & seqq.*

§. III.

Transitum hinc ad Jus Divinum facturis iterum constabit de asserti infallibilitate. Præterquam enim, quod custodia utriusque tabulæ, quæ potestati civili commissa legitur *Deut. 17, 18.* curam circa Sacra eidem luculenter deferat, deprehendimus, cum in statu *act. 17.* tum Regio Reip. Hebrai-

braicæ Jus circa Sacra civili potestati semper competuisse. Sic *Mosen* non modo nutu divino Sacra Israelitarum instituisse & restaurasse, sed & electo jam Pontifice Summo *Aarone*, Levitisque cultui divino destinatis nihilominus illam quæ Politicum Magistratum decet, Sacrorum curam suam fecisse, & quam maxime in id intentum fuisse legimus, ne idololatria verus Numinis Divini cultus obliteretur; cum enim *Aaron* aureum vitulum fabricasset, atque populo Israelitico adorandum obtulisset, graviter hoc nomine ab ipso reprehensus fuit. *Exod. 32, 20. 21.* Eandem quoque potestatem successor ejus *Josua* exercuit, cui Deus ipse in specie custodiam legis suæ tanquam Principi, Duci ac Magistratui plebis Israeliticæ demandavit, *Jos. 1, 7.* Sed neque cæteros Judices Israeliticos, qui tempore belli Magistratus terræ erant, hac potestate destitutos fuisse Sacræ literæ testantur exemplo *Gideonis Jud. 6.* aliorumque; licet eam ob deficientem jurisdictionem non fuisse tantam, quantam Regum subsequenterium velint alii. Regum, qui ante captivitatem Babylonicam tenuere Regnum, summam circa Sacra curam demonstrant exempla, *Davidis*, de ducenda & reducenda arca Domini solliciti, 2. *Sam. 6, 10. 12. 1. Chron. 16, 2. Salomonis*, ejicientis *Abiatharem*, ut non esset sacerdos, & in locum ipsius substituens *Sadocum*, 1. *Reg. 2. 27. 35.* templum item domino ædificantis, dedicantis & Sanctificantis. 1. *Reg. 6, 1. c. 8, 62. 63. Josaphati*, consistorium ex Levitis & Senioribus populi constituentis 2. *Chron. 19, 8.* aliorumque, ut *Saulis*, *Joa. Rebebeami*, *Asæ*, *Josia*, *Ezechiæ* &c. quorum nomina recensuisse sufficiat. Durante captivitate Babylonica & feriente adhuc Persis & Macedonibus Judæorum populo, quænam circa Sacra Regum Persiæ fuerit potestas testatum facit Sacra Historia *Esdraë* & *Nehemiæ*, nominibus potissimum, *Cyri* edictum promulgantis de ædificatione templi Hiero-

foly.

Solymitani *Esd.* 1, 3. *Darii*, Decreto subditos ad verum veri Dei cultum adstringentis *Esd.* 6, 11. & *Artaxerxis*, impertientis *Esd.* curam consummandæ domus Domini & reparandæ Religionis ac Politicæ Judaicæ *Esd.* 7, 12. Imo neque recuperata libertate a populo Judaico penes summum Pontificem atque sacerdotes fuit Sacrorum Majestas, nisi ex accidenti, quod nempe iidem deficiente Magistratu Politico, seculari potestate simul potirentur, Conring. *de Aut. & Off. Maj. civ. circa Sacra* 2b. 50.

§. IV.

Non tantum vero hac ratione in propatulo est, nullam circa sacra majestatem in sacris esse attributam vel Pontifici, vel Episcopis aliisque Ecclesiæ Presbyteris; Sed etiam ex innumeris S. S. Sententiis probari posset, si instituti ratio permitteret, omnem omnino vim coactivam illis esse denegatam, solique Majestati seculari assertam. Illa saltem Apostoli 1. *Tim.* 2. v. 2. adduxisse juvabit, ubi duo fines a Paulo recensentur, quorum gratia ordo Magistratus a Deo institutus sit; unum nominat Pietatem, alterum Honestatem. Si ergo propter sartam tectam habendam Pietatem Magistratus a Deo Optimo Maximo institutus est, sequitur inde omnino curam & animadversionem circa sacra & divina Magistratui incumbere. Neque aliud inferunt illa ad *Rom.* 13. v. 1. ubi omnem Animam potestati sublimiori subditam esse jubet Apostolus, & rationem suam ac fundamentum obsequii in causa efficiente potestatis ponit; quod nimirum non sit potestas nisi a Deo ordinata, & contumax ordinationi divinæ resistat. Itaque cum omnis Anima, i. e. omnis homo huic potestati subjiciatur simpliciter, quis quæso restrictionem plane non tolerandam circa curam sacrorum sibi fingere auderet monente. *Rhet. in Diss. de J. Stat. Imp. circa sacra* c. 1. num. 5. Sicco pede prætere-

ream illustres titulos, & magnifica nomina quibus in sacra-
rum literarum oraculis ob insignes quas Ecclesiæ præ-
stant operas, insigniuntur Principes publicique Magistratus;
sane Magnificentissimum Deorum nomen, (quod nullibi
S. Pontifici aut Sacerdoti tributum legimus) eximium Pa-
storum Epitheton (quo ab ipso supremo Numine conde-
coratur Cyrus Rex Persarum, *Es. 44. v. ult.*) illustris Patrum
titulus, aliaque insignia & elogia abunde curam Sacrorum
Magistratibus asserendam inculcant. Facile proinde depre-
hendere licet, quam frivolus sit ille Pontificiorum Prætex-
tus desumptus ab exemplo Sacerdotum Hebraicorum; Quam-
que levis momenti illud præjudicium, quando a Servatore
nostro Christo illam circa Sacra Potestatem postmodum a
Majestate Civili separatam, & Pontifici atque Episcopis
tributam volunt. Tantum quippe abest, ut ullum Christi
dictum ab illis possit allegari, quo disertis & maxi-
me perspicuis verbis quicquam Majestati Civili circa Sa-
cra subtractum voluerit Servator noster, *Conring. cit. loc.
2b. 30.* ut potius ipse suo exemplo probarit contrarium, *Joh.
19. v. 11.* Quod autem concernit illa Christi ad Petrum A-
postolum *Math. 16. v. 18. 19.* & *Joh. 21. v. 15.* quis dixerit Maje-
statem quandam Sacram Romano Pontifici esse attributam.
Unde enim probabitur Pontificem Romano esse Succes-
sorem Petri, cum & persona & vita, & doctrina ejus Petro
sit e diametro contraria? aut: Super Petram ædificare Ec-
clesiam esse concedere primatum & Dominationem; dare
claves Regni celorum esse dare jurisdictionem in omnes
totius orbis Ecclesias; pascere, habere Imperium idque su-
premum & illimitatum? Neque etiam ullibi legimus Pe-
trum ejusmodi potestatem exereuisse, cum se redargui ab
Apostolis passus fuerit, & iisdem cesserit, *Act. 11. v. 2.
Gal. 2. vers. 11.* & jussus a collegis profectus fuerit, *Act. 8.
vers.*

vers. 14. &c. conf. B. Dieteric. *Instit. Catech. art. de Ecclesiâ*
quæst. 5.

§. V.

Tandem consentientes hac in re habemus celebratis-
 simos quosque Politicorum. Cum enim certum sit summæ
 Potestati Civili totius Reipublicæ curam commissam esse
 insuperque constet, *Ecclesiam in Rep. esse non Remp. in Ec-*
clesia, Besold. *de Jure Majest. Sect. 2. c. 2. num. 1.* non sane
 colligi potest, qua ratione Majestas Rempublicam regere,
 Ecclesia vero potestati ejus exempta esse probari possit.
Est enim & secundum Aristotelem 7. Pol. 8. Cultus divi-
nus ex eorum numero, sine quibus civitas esse non potest:
unde 6. Pol. c. ult. ait: Necessaria cura sunt circa rem divi-
nam, circa rem bellicam, circa redditus publicos & impensas,
circa forum &c. ubi inter functiones Reipublicæ Optimæ
 primo loco collocat curam Sacrorum; exque hoc funda-
 mento §. *Pol. 11.* hortatur Principem, *ut serio & ante omnia*
Religionem curet, aut minimum curare se simulet. Imo si
 memoria velimus repetere præterita, deprehendemus, Reli-
 gionis in Rep. conservanda tantam esse vim, ut ejus muta-
 tione & antiquatione imperia mutata & antiquata sint; un-
 de non inconcinne fulcrum Reipublicæ nonnemo dixit Re-
 ligionem, quo subtracto & ipsam concidere, commoto &
 ipsam nutare necesse est; quis proinde negabit, curam e-
 jusdem iisdem etiam incumbere, quibus Reipublicæ, cujus
 salus sine illius cura procurari non potest. Ideoque Septal.
l. 5. de rat. stat. p. m. 302. optime concludi ita posse putat:
Eriam Tyrannum, quamvis in conscientia sua nullum ha-
beat vestigium Religionis neque pietatis, imo sit Atheus, de-
bere nihilominus ob bonam rationem regiminis procurare,
ut in statu suo populi amplectantur conserventque omnes
eundem numinis cultum, eandemque religionem. Et deni-
 que

que cum vis ἀρχιτεκτονική sacri cultus partim potestatem legum positivarum, partim potestatem quandam coactivam ad servandos in officio subditos importet, illa vis utique Imperio instructa, & per consequens summæ potestati civili propria requiritur. Conring. *cit. Diff. th. 35.* vid. Magnificus Dn. Præses in *Consultat. utrum cognitio rerum Ecclesiasticarum semper sit penes jura territorii habentem. th. 1.*

§. VI.

Restat, ut ipsa imperia & Resp. subjiciam, usum in iis & applicationem quasi in ipsis subjectis ostensurus. Cum autem Remp. Hebræorum antiquissimam jam contemplatus sim, hic solum de Græcorum aliorumque & præcipue Romanorum Imperiis dicam. Ubi D. Rhet. *cit. l. num. 6.* inprimis adeundus videtur Philostratus in vita Appollonii: qui neminem Persarum Regem esse potuisse testatur, nisi ante Magorum disciplinam scientiamque percepisset; scilicet nullo alio fine, quam, ut Sacrorum cura eo melius felicisque a summa Majestate administraretur. Ex eadem ratione celebratissimos quosque Græcorum Legislatores Deos Deasve regimini suo præsentés finxisse refert idem *Rhet. l. c.* quod sc. frustra potestatem civilem leges ferre reputaverint, nisi cura Sacrorum penes illam existat. Et Driops Atheniensis legem sanxit, qua vitæ supplicium illis distabat, qui in Religione novos introduxissent ritus, *Septal. l. 2. de. rat. stat. p. m. 73.* Ex eodem jure Magistratui seu Reip. circa Sacra competente, ipsi Athenienses Diagorai Atheos qui dictus, ut & Theodorum Cyrenaicum, qui Deorum naturam aperte sustulerant, urbe ejecerunt. *Rhet. l. c.* & Socratem reum mortis voluerunt quod novam Religionem introducturus esse videretur, *Septal. l. c.* Ubi idem quoque apud Sinenses observari tradit, cum lege sancitum sit, ne Regno illo alia

lique consensu, & qui contravenerit, ultimo Supplicio afficiatur.

§. VII.

Sed ad Romanos! quorum Reges sacra administrasse testatur *Livius*, l. 1. c. 9. & quidem omnium primum Romulum cum Sacris & Religione Civitatem præcipue contineri existimaret, metuens, ne quando illorum vilesceret Authoritas, aut ejus neglectu populus profanus efficeretur, magnam curam Sacrorum egisse, legemque edidisse: Sacrorum omnium potestas sub Regibus esto; Sacra Patres custodiunto *ex Cicer. de Divinatione tradit Rhet. l. c. de Numa Pompilio refert Valerius Maximus l. 1. c. 2.* quod ut populum Romanum Sacris obligaret, voluerit videri sibi cum Dea *Ægeria* congressus esse nocturnos; ejusque monitu accepta Diis immortalibus sacra instituire; adeoque nihilominus Jus summum circa sacra sibi retinuerit, licet secundum *Dyonis. Halicarnas. l. 2. Ant. Rom.* ipse Pontificem constituerit, ipsique curam Sacrorum commiserit. Nec minus Sacrorum Jus sibi tribuit *Tarquinius*, teste eod. *Val. Max. l. 1. c. 1. n. 13.* Exactis Regibus in statu populari idem Jus circa Sacra Summæ Potestati salvum fuisse Historiarum monumenta docent, vid. *Cic. de Divinat. l. 2. Liv. l. 39. & 40. Val. Max. l. 1. c. 1. n. 12.* aliique. Succedente demum statu Monarchico Jus illud adhuc Majestati Principum assertum esse, satis exinde conspicere est, quod *Julius Cæsar* ejusque successores *Rom. Imp.* Pontificatum M. in potentia firmamentum vel ipsi susceperint, vel se Pontifices M. appellari passi fuerint. Sic quoque Imperatores Christianos, antequam ipsorum Potestatem superstitionis labefactaret, & fastus atque protervia *Hildebrandina* obtineret, pleno & illibato jure tam circa Sacra quam profana omni tempore gavisos esse Historie

storiarum Ecclesiasticarum testantur. Superfedebo autem hic enarrandae istorum Imperatorum seriei; ex Salmas. *Def. Reg. l. 2. c. 9.* tantum annotasse sufficiat; quod ipsi concilia convocaverint, Episcopis nunciaverint, ut ad Synodos venirent, inter eos lites obortas dijudicaverint, Ecclesiarum & Monasteriorum operi intenti fuerint, omnia Ecclesiastica munera administraverint, quae ad internum conscientiae forum minime pertinere videbantur; Episcopos delinquentes coercuerint, & ab officio removerint, qui digni viderentur, Ecclesis dederint, aut Electos confirmaverint, aut non legitime ordinatos abjecerint. Idem testatur Socrates *l. 5. Hist. Eccles.* ubi haec notatu digna habet verba: *Ex quo Christianismum profiteri ceperunt Imp. res Ecclesiae ab ipsis pependerunt.* Add. integri tituli *C. de Summa Trinitate; de SS. Ecclesiis; de Episcopis & Clericis &c.* de caetero conf. Lehmann. *Chron. Spir. l. 2. c. 41. Marcus Ant. de Dominis doctissimus Spalarensium Episcopus tr. de Rep. Ecclesiast. Gaudent. l. de Justinian. Seculi moribus, c. 4. Stöfler. de Pot. Pol. circa Sacra. Sect. 2. th. 18. seqq. Rhet. Diff. cit. c. 1. n. 9. & seqq.*

§. VIII.

In medium quoque proferri possent testimonia ex ipsis Canonibus petita, quae Pontificii non nisi rubore suffusi intueri possunt; ac proinde rejiciunt, & falsitatis arguere tentant; verum irrito conatu. Principem locum tenet *c. 22. Dist. 63.* ubi Hadrianus Papa cum universa Synodo Carolo M. tradidit jus & potestatem eligendi Pontificem & ordinandi Apostolicam sedem; absque eo insuper Archi-Episcopos & Episcopos per singulas provincias investituram petere iussit, & ut nisi a Rege lauderetur atque investitur Episcopus, a nemine consecratur. Cujus Canonis fides uberius firmatur ab Henning. *Arnif. de Jure*
Maje-

Majest. l. 2. c. 6. n. 10. In eadem potestate Leo Papa firmavit (tribuere enim demum non potuit) Utthonem l. c. 23. *Diff. 65.* Accedit enim textus in *C. XXIII. qu. 5.* *Principes Seculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina renent, ut per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam maniant &c. cognoscant Principes seculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt; nam sive augeatur pax & disciplina Ecclesia per fideles principes sive solvatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.* Ac concessio tandem quod Pontifices Romani in sequentibus Seculis hanc circa Sacra potestatem magnam partem ad se traxerint; hoc tamen itidem negari haud potest, quod Imperatores de violenta ista extorsione nunquam non graviter sint conquesti, ac sic protestando jus suum circa Sacra integrum sibi reservaverint; quod infinitis, si opus foret, probari posset exemplis; vid. tamen Conring. *Diff. cit. tb. 33.* Tantum itaque abest, ut Pontifices Romani præscriptionis titulum allegare possint, ut potius quicquid juris circa Sacra Imperatoribus atque Principibus secularibus extorserint, pessima fide, & maxime injusto titulo possederint. Et aliorum quoque Regnorum Reges illud Jus sibi adhuc hodie integrum servant, aut si quid iis forte per fraudes subtractum, omni studio annuntur, ut illud recuperent.

§. IX.

Cum itaque certum sit, jus circa Sacra (cujus pars faltet Jus Episcopale, & Jurisdictio Ecclesiastica, Stryck. *in addit. ad Brunnem. Jus Eccles. l. 1. c. 6. memb. 12. num. 1.*) Summæ potestatis Civilis & Supremi Imperii partem eamque potissimam ac præcipuam esse, eique competere de Religione Dispositionem, cujus est

C 2

regio

regio & territorium, inque eo comperens summa potestas; prout id ipsum præter hæcenus adducta approbant Ziegler. *de Jur. Maj. l. 1. c. 5. num. 30.* Horn. *de Civit. l. 2. c. 5. n. 3.* Tabor *de Regimine Eccles. S. 1. thes. 23.* Faber. *de Relig. regend. l. 1. c. 3. & 4.* Grot. *de Imper. summ. pot. circo sacra.* Reinking. *de Reg. Sec. & Eccles.* Nullum quoque dubium est, quin Status Imperii sub concessa Jurisdictione territoriali jus circa sacra simul acquisiverint; Quoniam jus superioritatis territorialis statibus Imperii in Ditionibus suis competens est summæ potestatis Civilis species analogæ, & Majestatis æmula, omneque jus potestatis civilis tribuit, adeo, ut Status Imperii per complexum omnia Majestatis jura hodie jure suo exerceant, & tantum possint in suis territoriis, quantum Imperator in universo Imperio. Id quod facile cuilibet constabit, modo cognitam habuerit definitionem superioritatis territorialis; *Est enim illa Jus ac potestas Supremi Imperii ac Regalium post Imperatorem competens Principi aut Statui Immediato in res ac personas in suo territorio particulari existentes.* D. Myler ab **Chrenbach** *de Princip. & Stat. Imp. c. 36. n. 8.* Ex quibus præsuppositis tuto concludere licet: Jus circa sacra eidem juri inesse; utpote quod Potestati Civili competere in antecedentibus abunde demonstratum est. *Quomodo enim salutem Subditorum suprema cura & potestate complecti diceretur, qui religionis veræ & sinceræ curam non haberet; Et quomodo id negare possunt, qui inter publici juris in Imp. Rom. Germ. recepti fundamenta constituunt, idem jus quod Summo Principi in Imperio vi Majestatis, etiam Statibus Imperii vi Superioritatis territorialis competere verba sunt D. Taboris in tr. de Reg. Imp. Eccles. S. 1. th. 23.* Quibus adjicio ipsum Instrumentum

mentum Pacis, per quod quasi de novo firmati sunt Status Imperii in illo Jure *art. 8. §. 1. verbis: Omnes & singuli Electores, Principes, & Status Imperii Rom. in antiquis suis juribus, prærogativis, libertate privilegiis, NB. libero Juris Territorialis tam in Ecclesiasticis, quam in Politicis exercitio firmati sunt &c. add. art. 5. §. 29. ibi: Cum ejusmodi Statibus Immediatis NB. cum jure territorii & superioritatis communi per totum Imperium usitata praxi etiam jus reformandi Exercitium Religionis competit &c. & ibi: Nullique Statui Immediato Jus, quod ipsi NB. ratione territorii & superioritatis in negotio Religionis competit, impediri oportet.*

§. X.

Atque ex his per legitimam consequentiam deduci potest, non demum tributum esse Jus Episcopale Statibus Protestantibus per Transactionem Passaviensem; in quam sententiam descendere videtur D. Myler. ab **Ehrenbach** *rr. de Stat. Imp. cap. 82. n. 2. & 5.* aliique citati ab ipso magno numero; quibus additur a D. Tab. *l. cir. Principalis alias juris & libertatis assertor strenuus Lampadius, qui, l. 2. de Rep. Rom. Germ. c. XI. §. 6.* ita loquitur: *Atque ea occasione (nempe Transactionis Passaviensis) religionis potestas ad comitia, ac proinde in Statuum Superioritatem concessit.* Cum enim certum sit Jus Superioritatis territorialis jam antè Pacificationem religiosam integrum fuisse statibus Imperii, negari quoque non potest, jam tum etiam ipsis competiisse Jus Episcopale per antea deducta. Licet autem concedendum sit, jus illud Superioritatis Territorialis, nec usu juris cognitum nec legibus civilibus definitum, sed solis moribus Imp. Rom. Germanici introductum existere, atque ideo perplexum & difficile esse cognitu; uti monet D. Myler. *rr. cir. o. 36. n. 2.* tuto ta-

men asseri potest, hoc jus jam sub Ottonibus initium cœpisse, variis tum turbis exortis atque discordiis, quibus suffulti Principes Imperii, quos Imperatores ante in partem sollicitudinis & curæ oneris sublevandi gratia assumerunt, iisque certas provincias vel districtus ad tempus & sui Imperatorum sc. nutum concesserunt; jure Superioritatis & absolutæ administrationis provincias sibi assignatas vindicabant: quo factum, ut Imperatores coacti fuerint, hisce suis tum temporis præfectis, ne spe ampliorum opum & dignitatum acquirendarum totum Imperium pessundarent, præter administrationem dominium quoddam & Jus sublimius in istas provincias jure patrimonii titulo reali sub qualitate *der Landes Fürst. oder Landes hohen Obrigkeit* concedere; Quæ potestas deinde magis magisque crevit, ac instar Alluvionis seu incrementi illius latentis, paulatim prædio nostro accedentis, ut intelligere vix possimus, quantum quoque tempore adjiciatur *l. 7. ff. de acquir. rer. dom. se habuisse traditur a cit. D. Myler. cap. 9. n. 3. add. D. Textor Diff. de Jurisdiet. Territoria ff. 162. D. Rhet. l. cit.* Potius itaque jus circa Sacra Statibus Evangelicis per dictam Pacificationem restitutum, quam demum tributum esse asserere cum Bœckelmann. *Diff. Inaugur. Medit. 1. ax. 8.* non dubito, cui suffragantur *D. Tabor l. c. & Magnif. D. Præses in Diff. de Concord. Discord. Germ. c. 1. n. n. & c.*

SECT.

SECTIO POSTERIOR.

CAP. I.

Explicans, an, & quomodo Jus Episcopale Pontificiorum sit extinctum in Territoriis Statuum Protestantium.

SUMMARIUM.

- I. II. *Quomodo Status Protestantes receperint jus circa sacra.* III. *primarium caput juris Episcopalis restitutum est jus reformandi religionem.* IV. *De jure emigrandi variæ sunt Dd. Sententia.* V. VI. *Sequuntur alia jura una cum jure Episcopali restituta.*

§. I.

Quomodo potestas circa sacra atque Jus Episcopale Statibus Protestantibus competat, & qua ratione Episcopi Romano-Catholici ipsis hoc extorserint, sibi que & in ipsorum territoriis asseruerint, hætenus proposui. Nunc an & quomodo affectatum illud jus, cujus Reviviscentiam sperant Pontificii, iterum sit extinctum in terris Protestantium, dispiciendum. Scilicet, posteaquam Deo clementer annuente, superiori seculo impositionis Pontificiæ nebulis & tenebris depulsis, veritate in apricum iterum deducta ac doctrina Christiana repurgata ubique clarior Evangelii lux omnibus affulgeret, Principes & Status Protestantes jure sibi ex antiquo competente postliminio quasi uti cœperunt; quod cum durum videretur

Adver:

Adversariis, quippe qui nondum liberati fascino, hi vero jus suum nihilominus assererent, tandem per Pacificationem Religiosam lis composita, illisque Imperii Statibus iterum vindicatum fuit illud jus; cui nunc plenissimum ac perpetuum accessit robur ex Instrumento Pacis Westphalicae.

§. II.

Tuto ita asserere licet, jus Dioëcesanum & jurisdictionem Ecclesiasticam Pontificiorum contra Status Augustanae Confessioni addictos plane sublatam & extinctam esse, & ita quidem extinctam esse, ut jura Episcopalia ipsis ut injustis possessoribus erepta, & Principibus ac Statibus Imperii Evangelicis restituta, nunc iterum vigore superioritatis territorialis Kraft habender Landes Fürstlicher Obrigkeit, & jure pacti conventionisque propriae ab illis exerceri possint. Id quod optime innuit *Recess. Imp. de A. 1555.* damit auch obberührte Religions-Verwandte so viel mehr in beständigen Frieden gegen und bey andern sitzen und bleiben mögen, so soll die Geistliche Jurisdiction wider der Augspurg. Religion, Glauben, Bestellung der Ministerien, Kirchen, Gebräuchen, so sie aufgerichtet, oder aufrichten möchten, bis zur endlichen Vergleichung der Religion nicht exercirt, gebraucht oder geübt werden; Sondern derselbigen Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen, Ceremonien, und bestellung der Ministerien ihren Gang gelassen, und kein Hinderung oder Eintrag dadurch beschehen, und also hierauf wie obbemeldt, bis zu endlicher Christlichen Vergleichung der Religion die geistliche Jurisdiction ruhen, eingestellt, und suspendirt seyn und bleiben. Quicquid etiam Pontificii, & praesertim non-

nonnulli ex ordine Jesuitico circa validitatem & auctoritatem Pacificationis Religiosæ desiderent, eo quod consensus Papæ, qui tamen maxime fuerit necessarius, (quod tamen nondum demonstratum) non accesserit; & quod ipsa Imperatori vi fuerit extorta. Verum, præterquam quod verba ista in Pacificatione: *uns mit denselbigen, und sie hinwieder mit uns vergleichen*; commentum istud jugulent, cum amicissimum ordinum Imperii inter se Tractatum inculcent; accedunt historiæ, ex quibus abunde deduci potest, tum temporis Imperatori Regique Romanorum nihil extorqueri potuisse, nullamque ipsis vim hostilem a Protestantibus metuendam fuisse. vid. omnino D. Haveman. *tr. de Jure Episcopali tit. 4.*

§. III.

Recuperarunt itaque Status Evangelici per Pacificationem illam Religiosam, eaque factam Extinctionem Juris Episcopalis Pontificiorum, ut primaria saltem jura hic delibem) primo: *Jus reformandi & mutandi Religionem*; cujus vigore Quilibet Princeps & Imperii Status liberum Religionis Exercitium in sua Ditione vel Territorio non solum introducere, sed & introductum mutare ac intercidere potest. Hinc firma & perpetua censetur regula: *Quod Religionis mutatio sit sequela territorialis Jurisdictionis, ac inhæreat territorio, sicut (ut vulgo dicimus) nebula paludi*; Myler. *de Stat. Imp. c. 83. n. 2.* Et hæc regula in ipsa Pace Religiosa & Instrumento Pacis Osnabrugensis est fundata, *art. 5. §. 29. verb. Cum ejusmodi Statibus immediatis cum Jure Territorii & Superioritatis ex communi per totum Imperium hactenus usitata praxi etiam Jus reformandi Exercitium Religionis competat, ac dudum in Pace Religionis talium*

D.

Sta.

Statuum subditis si a Religione Domini Territorii dissentiant, beneficium emigrandi concessum &c. Adicitur tamen statim insequentibus Exceptio, & quidem §. *Hoc tamen non obstante &c.* ubi disponitur: quod illi Statuum subditi, qui sive publicum seu privatum diversæ Religionis Exercitium Anno 1624. quacunque anni parte seu certo pacto aut privilegio, sive longo usu, sive sola denique observantia dicti anni habuerint, id etiam in posterum retinere debeant, una cum annexis, (quæ annexa teste Dn. Præfide in laud. Consult. 2b. 9. nihil aliud sunt, quam quaedam eæque palmaria Juris Episcopalis particula) quatenus illa dicto anno exercuerunt, aut exercita fuisse probare poterunt; Turbati vero aut quocunque modo destituti sine ulla Exceptione in eum, quo Anno 1624. fuerunt, Statum plenarie restituendi sint. add. §. *placuit porro &c.* ubi itidem Statum An. 1624. pro norma in Religionis Exercitio constitutum deprehendimus, nullo nec Superioritatis, nec reformandi jure hoc casu obstante. Quin tamen nihilominus inter Statum Imperii ejusque subditos mutuo consensu posthac de Exercitio Religionis aliter conveniri adeoque Instrumento Pacis quadantenus derogari possit, nullus dubito; licet pacta Principum cum Subditis dicto termino contraria pro nullis habeantur §. *pacta autem &c.* intelliguntur enim ibi pacta præterita, non futura; *Prohibitio autem ad præterita restricta in futura vim non extendit* D. Rhet. c. 4. n. 9. & deinde Dispositio illa Instrumenti Pacis circa Religionis Exercitium dicti Anni 1624. in favorem potius subditorum directa est, quilibet autem favori pro se introducto renunciare, & aliud cum Superioris sui consensu statuere potest. vid. Schuz. *Man. Pacif. qu. 14.*

§. IV. Quod

§. IV.

Quod autem concernit casus, ubi Subditi a Religione Domini Territorii dissentientes nullam possessionem Exercitii Religionis ex dicto Anno 1624. probare possent, vel postea diversam a Territorii Domino religionem amplecterentur; indeque motam duplicem controversiam, generalem alteram: *An ejusmodi Subditi tolerari debeant?* alteram specialem: *Quomodo tolerari debeant?* non una Doctorum est sententia. Alii, cum post Pacem Religiosam liberum fuerit illis subditis, qui diversa a Domino Territorii Religioni sunt addicti, ob diversam suam Religionem emigrare, aut diutius in Territorio commorari; Domino Territorii potestatem denegant ejiciendi ejusmodi Subditos e Territorio, quos inter plerique ex Nostratibus qui ante Instrumentum Pacis scripserunt; ut Petr. Frid. Mindan. *de Process. l. 1. c. 30.* Bernhard. Bertram *de Pac. Relig. th. 49.* Gothofr. Suv. *de Pac. Relig. prop. 7. th. 6.* Henr. Andr. Cran. *p. 2. de Pac. Relig. probl. 1.* Petr. Syring. *de Pac. Relig. concl. 35.* Rumelin. *ad A. B. p. 3. Disf. 2. Coroll. 7.* Merckelbach. *ap. Klock. tom. 1. Conf. 20. n. 355.* Schuz. *Vol. 2. Diff. 4. th. 16. in fin. &c.* Quæ sententia etiam de novo in Instrumento Pac. confirmata videtur; *arz. 5. §. 33. verb. placuit porro, ut illi Catholicorum subditi &c.* ex quo etiam, non minus post Instrumentum Pacis Jus emigrandi intuitu Religionis Libere voluntatis esse, nec Subditos nisi velint, cogi posse, ut emigrent, modo alias, quæ morigeros Subditos decent, observent, licet Exercitium Religionis illius, quam sunt amplexi sit diversum ab illo, quod A. 1624. ibidem loci viguit; eruunt Myler. *de Stat. Imp. in noviss. edit. c. 83. n. 6. & c. 86. n. 6.* Rhet. *de Jure Stat. Imp. circa Sacra*

c. 4. n. 12. 13. Alii vero, vi §. seq. 35. verb. *aut a Territorio Domino jussus fuerit emigrare &c.* & §. 36. verb. *sive voluntarie seu coacte emigrantibus &c.* §. 42. ibi: *pendente controversia migrare non cogantur &c. existimant;* quod sicuti Subditi pro beneplacito emigrare possint, Dominus autem eos dimittere cogatur, ita contra Dominus pro beneplacito migrationem imperandi facultatem habere debeat, subditi vero parere cogendi; & sicuti ibi subditi non cogantur esse inviti sub Magistratu diversæ Religionis, ita & hic Magistratus, cujus conditio sanè deterior esse non debeat, non cogendus subditos alius Religionis invitus ferre; atque ita sentit Decker. *De Pac. Civ. relig. p. 1. p. 209.* Qui dicit, sententiæ huic non obstare d. §. 33. *Placuit porro &c.* Illum enim non loqui de jure Statuum iræponendi migrationem subdito scandalum præbenti aliis; sed potius de coactione subditorum, aut violenta compulsionem ad Religionem diversam amplectendam, ab ipsis iidem detestata. Alii judicium suspendunt, ob *Instrum. Pacis art. 5. §. 49.* illamque ex contrarietate dictorum §§. exortam controversiam sine Comitali Decisione dirimere non audent.

§. V.

Secundo huc pertinet *Constitutio Ministrorum Ecclesie der Pfarherrn, Kirchen- und Schuldiener;* vi cujus Dominus Territorii Pastorem seu Ministrum Ecclesie vocare, nisi alius Jus Patronatus habeat, confirmare, atque ordinare potest; cui annexa est Observatio cultus, & ut Ministri munia Divinitus ipsis concedita fideliter expediant, suasque actiones Ordinationibus Ecclesiasticis denent *Kirchen-Ordnungen* conformes reddant, vid. *N. N. 1555. §. damit auch obberührete &c.* Atque hinc sunt

sunt illa capita Juris Patronatus Regii, (quod Juri Patronatus privatis concessio contradistinguunt) (1) de Ecclesiis visitandis; quas visitationes per Superintendentes vel Præpositos expediunt; (2) Synodis instituendis; (3) falsis cultibus corrigendis, & denique (4) de officio movendis & coercendis improbis atque heterodoxis; *Tabor. Sect. 2. th. 3.* Adde tertio; *Jus administrandi res & bona Ecclesiastica*, quod comprehendit constitutionem Oeconomorum & Provisorum sua vice, rationumque ab iisdem repetitionem, & legitimam bonorum istorum Dispensationem, de qua vid. Myler. c. 88. §. 12. & seqq. nec non defensionem. Et ipsam quidem horum bonorum administrationem Statibus Imperii magnæ curæ semper esse & fuisse colligere est cum ex variis ordinationibus Ecclesiasticis, tum ex ipsis Imperii legibus nempe *Recess. Imp. de A. 1548. tit. von Puyssen.* verb. und dieweil mit den Kirchen-Renthen, Gefällen und Gütern in Zeiten betrüglicher und gefährlicher Weis durch die Pfleger gehandelt wird, so wollen wir den Obrigkeit, denen solches gebühret, hiemit auch befohlen haben, daß sie gleicher Gestalt auch ein Einsehen thun, und verfügen, die Kirchen-Pfleger und Fürstlicher mit Eiden und Gelübden zu beladen, der Kirchen vorzustehen und jährliche Rechnung zu thun. Quarto; *Jus sancienti Leges Ecclesiasticas Kirchen- und Ehe-Ordnungen*; in quibus de ritibus atque ceremoniis Ecclesiæ, de matrimonio & gradibus ac juribus similibus disponitur.

§. VI.

Imprimis autem huc spectat isto: *Jus origendi Confessoria die Kirchen-Gerichte*; quæ in reterminandis Controversiis circa administrationem Ecclesiasticam,

D 3

deci-

Accidendis causis Spiritualibus, & per sententiam definiendis; pœnis decernendis, & satisfactionibus imponendis; Dispositione item & dispensatione de gradibus in matrimonio ex Lege positiva prohibitis; occupata Principis curam sublevare possent. Quod autem concernit illorum Judiciorum originem, competentiam, subordinationem, directionem aliaque eo pertinentia; accurate ea deduxit Weber. *tr. de Jure Consistoriorum*. Porro his recte annumeratur: *Potestas loca sacra & religiosa erigendi & ædificandi, utque alii erigant & ædificent, indulgendi, & consentiendi*; interest enim, ne hujusmodi loca cum detrimento Status exstruantur, uti pro Republic. Venetorum responderunt Autores apud Goldastum *tom. 3. Const. Imperial.* vid. Myler. *c. 88. num. ult.* Quod non solum in ædificandis ædificandis ædibus sacris sed & aliis eo spectantibus verum esse demonstrat Carpvov. *l. 2. Jprud. Eccles. Def. 335. n. 2. 3.* Tandem huc referenda *Scholarum fundatio & conservatio*; Dn. Seckendorf. *im teutschen Fürsten Staat p. 2. c. 14.* Nec solum Scholas triviales hic intelligo, uti nec sola Gymnasia, sed & Academias, de quibus quidem haud leves inter Dd. Juris Publici intercedunt controversiæ, an sc. & quatenus Statibus Secularibus jus fundandi & erigendi illas (circa conservationem enim & directionem faciliores esse solent) competat? easque erigendi jus non minus ipsis propter Jus superioritatis Territorialis esse asserendum judico, per ea quæ habet Rhet. *d. l.* Qui annexum esse dicit inspectioni Academiarum *Jus Cancellariatus*, quod Status Imperii sibi semper reservasse præsumantur, imo reservatum teneant; idque non titulo Cancellariatus, sed vi superioritatis Territorialis, vel in specie juris circa Sacra Statibus Imperii competere. *ibid.* Sed longius

gius

gius hisce immorari, & temporis penuria, & instituti ratio vetat.

CAP. II.

Considerans ipsam Juris Episcopalis Pontificiorum in Terris Protestantium extincti prætentam Reviviscentiam.

S U M M A R I A.

- I. Neg. Reviviscentiam Juris Episcopalis esse possibilem. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. proponuntur & diluuntur argumenta Pontificiorum pro adstruenda Reviviscentia Juris Episcopalis. XI. Observantia anni 1624. constituta est regula omnium causarum Religionem concernentium. XII. proponitur Specialis Controversia ratione Reviviscentiæ Juris Episcopalis quam sequitur Epilogus.

§. I.

Stantibus hisce, (ut pedem promoveam, & propius ad Institutum accedam) facile nunc est judicare, num spes aliqua affulgeat ex parte Romano-Catholicorum recuperandæ aliquando Jurisdictionis Ecclesiasticæ in territoriis Statuum Augustanæ Confessioni addictorum, atque Reviviscentiæ Juris Episcopalis extincti, quam urgere illos subinde deprehendimus. Scilicet cum tam certum sit quam quod certissimum, Jus circa sacra, utpote præcipuum & vere primarium Superioritatis Territorialis fundamentum, tantis laboribus tantisque periculis

culis recuperatum & vindicatum esse a Statibus Protestantibus, ac proinde probabile minime videri, illos hoc tibi ita facile iterum eripi passuros, multo minus sponte remissuros, & Romano-Catholicis concessuros; non possumus quin in totum id inficiemur; præsertim cum ipsum Instrumentum Pacis de perpetuitate illius Dispositionis atque Conventionis qua restitutum facta, nos reddat quam certissimos; *Art. 5. §. 1. verb. rata habeatur, sancteque & inviolabiliter seruetur. item: ea pro perpetua dictæ pacis declaratione, tam in Judiciis quam alibi observanda habebuntur, donec de Religione ipsa convenerit. item verb. violentia omni, ut alias ita & hic inter utramque partem perpetuo prohibita. §. 3. verbis: Si vero quod Deus prohibeat de Religionis Dissidiis amicablem conveniri non possit, nihilominus hæc conventio perpetua sit, & pax semper duratura. Add. Recess. Imp. de A. 1555. §. 25 ubi expresse habetur, quod licet Concilium instituat, per istud tamen pax Religiosa sublata non sit, his verbis: wo dann solche Vergleichung durch die Wege des General Concilii, National Versammlung, Colloquien, oder Reichs-Handlungen nicht erfolgen würde, soll alsdann nichts dieweniger dieser Friedstand in allen oberzehlten Puncten und Articeln in Kräften bis zur entlichen Vergleichung der Religion und Glaubens-Sachen stehen und bleiben, und soll also hiermit obberührter Gestalt und sonst in alle andere Wege, ein beständiger, beharrlicher, unbedingter, für und für (hæc futuri temporis, perpetuitatisque nota est, Knichen. de vestit. pact. c. 3. n. 100. Wehner. voc. für und für) ewig-währender Fried aufgerichtet und beschloffen seyn und bleiben. Quod clarius in Recess. Imp. de A. 1559. §. 5. & imprimis verbis plane*

plane emphaticis repetitur in *Recess. Imp. de Anno 1566.*
§. 6.

§. II.

Provocant quidem & ipsi Pontificii ad Instrumentum Pacis, & tum ex iisdem, tum ex aliis textibus perpetuitatem illam impugnare conantur, dum pro termino conventionis totalem placidam Dissidii Religionis compositionem constitutam urgent; qua secuta omnem sibi restitutum iri potestatem suspensam firmiter sibi persuadent; Verum licet non diffiteamur, haberi illa in Instrumento Pacis allegato; num tamen speranda sit aliquando ejusmodi Conciliatio & Compositio placida, & talis quidem qualem exoptant Romano-Catholici, valde dubitamus. Sive enim voluntatem Protestantium respiciamus, quam deficere th. precedenti diximus, sive possibilitatem, utrinque suboriri scrupulos deprehendimus. Schuzius quidem in *Man. Pacif. qu. ult. methodum* certam Pacem Religionis in Europa & veræ fidei unitatem consequendi a Johanne Semanno toti nuper Imperio oblatam commendat; Et Erdemannus Jesuita *jam tempore Pacificationis Augustanæ maximam probabilitatem, imo certitudinem moralem Conciliationis illius fuisse asserit in Anti-Caramuele suo p. 20. Calov. tr. de nar. & ind. Pacif. Relig. §. 58. Cui suffragatur ipse Caramuel (eodem teste) in Syndromo Pacis licite demonstrata p. 41. eandem etiamnum possibilem, imo facilem pronuncians. Sed penitius cum Calovio inspiciamus ejusdem Sententiam: Testor, ait, mihi Religionum Concordiam videri non solum possibilem, sed facilem, modo contraria contrariis curentur, & Medicina quam Marcellus Papa voluit, sed morte preventus non potuit, apponatur &c. Arripiamus hæc: curentur contraria contrariis, anathematata Tridentina,*

E

tina,

*rina, cum commentitia Papæ infallibilitate & Auctoritate Hildebrandica tollantur, ne cogamur credere quæ ad fidem non pertinent, scandala insuper & irritationes removeantur; Et non impossibilem fore conciliationem ultro fatebimur. Sed tunc ex parte Pontificiorum defectus metuendus, ut nec hac ratione spes supersit concordia Religionum. Ipsum denique Instrumentum Pacis de ea desperare quadantenus videtur, dum in casum non secutura compositionis, nihilominus Pacem Religiosam perpetuo duraturam, disponit. Quinimo posito, non inanem forte spem de illa foveri ex parte Pontificiorum, maxime tamen adhuc dubitamus, an hac compositione secuta Episcopis Romanis etiam speranda sit Restitutio Juris Episcopalis seu potius Juris Sacrorum eo modo, quo sibi post Hæresin Hildebrandinam illud vindicarunt, & exercuerunt, quid? quod plane de ea desperemus; neque enim vel ex jure divino vel Humano illud ipsis competiisse unquam demonstrari potest, per ea quæ supra monui; Quæ autem ex Jure Canonico in medium afferuntur, sapiunt testimonium domesticum. Consentit D. Linck *Diss. de Jure Episcopali* 3. ubi de *subject. Jur. Episcop. num. 101.**

§. III.

Ex quibus simul constat, non adeo stringere particulas usque, donec, in Instrumento Pacis usurpatas verb. *donec ad Compositionem Christianam Dissidii Religionis &c.* & *eousque donec de Religione Christiana &c.* ex quibus Adversarii necessario & infallibiliter Reviviscenciam Juris Episcopalis efficere conantur, propterea quod Dispositio ejusmodi particulis restrictivis & limitativis constans non diutius vigorem habeat, quam id extiterit, ob cujus defectum ipsa ita concepta est; & quod prohibetum

hibitum hac ratione ad tempus, post tempus censeatur
 permiffum. Præterquam enim, quod jam demonstra-
 tum fit, difficilem admodum & ferme impoffibilem fore
 totalem Difidii Religionis compositionem, ac proinde
 nihil obftent eadem particulæ, quo minus difpofitio illa
 perpetuitatem quandam præ fe ferat; hoc non femper
 procedere deprehendimus, cum non raro particula donec
 ita accipiatur, ut id, cui adjungitur, non folum intra cer-
 tum tempus fed omnino removeat, imo fapiffime idem
 denotet, quod in perpetuum. vid. Strauch. in *Lexic. Par-
 ticul. Juris voc. donec. n. 8. & 9.* prouti & accipi videmus
*Gen. 8. verf. 7. Pf. 110. verf. 1. 2. Sam. 6. verf. 23. Matth. 5. verf.
 26. Matth. 18. verf. 34. 1. Tim. 4. verf. 13. 1. Cor. 15. verf. 25.* Nec
 eft, quod ipfi refugium quarant in intentione Pacificanti-
 um Romano - Catholicorum, eamque ad pacem perpetu-
 am directam fuiffe negent, facillime enim ex ipsis Sanctio-
 nis literis convinci poterunt. Calov. *tr. de nat. & Ind. Pa-
 cif. Relig. f. 54.* Quæ cum, ait, ita hisce conceptis verbis forma-
 ta fit: *Alles bey Käyserl. und Königl. Würden, Fürstl.
 Ehren, wahren Worten und Pen des Land: Friedens
 &c. item: alles getreulich lund ohngefährlich &c. ecquis
 de intentione ipsorum (quam verba aperte referunt,) dubitare
 potest, quin fallaces eos faciat, fidemque & dignitatem Impera-
 toriam & Principalem in dubium revocet, imo abroget iisdem
 non minori improbitate, quam Audacia & Temeritate.* Pari
 ratione rejicimus Concilium Tridentinum, nec per illud
 (uti ipsi quidem somniant) constitutionem Pacis Religio-
 fæ, eaque concessam seu potius restitutam Protestantibus
 circa Sacra Potestatem sublatam esse existimamus; cum in
 eo & Præses, & Assesores, & locus, & procedendi modus
 fuerint suspecti, per ea quæ habet Havemann. *de Jure Epi-
 scopali. tit. 4.*

§. IV.

Ex iisdem fundamentis forte destrui potest & aliud argumentum Pontificiorum ex Instrumento Pacis defunctum; quando nimirum urgent: Jus Dicecesanum & totam Jurisdictionem Ecclesiasticam in Terris Augustanæ Confessioni addictorum saltem suspensam esse, non penitus sublatam, ac proinde nihil obstare, quo minus iterum reviviscere possit. Scilicet, quoniam, uti ex antecedentibus constat, nulla secutura est totalis dissidii Religionis Compositio, ad quam suspensio ista sese refert; perpetua sane non temporalis erit suspensio, ac proinde potius abolitio quædam & abrogatio Juris Dicecesani & Jurisdictionis Ecclesiasticæ in Terris Protestantium, quam nuda & propria suspensio dicenda; præsertim cum per illam ad Seculares Augustanæ Confessioni dicatos Status transabierint una Jura Episcopalia, ipsique in eorum Exercitio in integrum restituti fuerint, id quod ex præmissis liquet. Si enim vera & nuda esset suspensio, non tributa cuiquam foret parti Jurisdictio Ecclesiastica, neque Romano-Catholicorum, neque Augustanæ Confessioni addictorum; non illis, ut patet; non his, quia ex illis verbis nihil aliud sequeretur, quam non posse amplius Romano-Catholicos exercere illam Jurisdictionem in Territoriis Protestantium prout exercuerunt hætenus; id quod tamen ex ipso Instrumento Pacis refelli potest, quippe quod Translationem insuper seu potius Restitutionem illius Jurisdictionis Statibus Protestantibus factam innuit. Huc pertinent, quæ famigeratissimus Theologus D. Dannhauer *p. m. in Theol. Censc. p. 2. Sect. 2. Dial. 3. arr. 6. q. 5. p. 909.* inter alia proponit:

ponit: Tandem, inquit, resoruit Hyper Episcopia, cum Ecclesiam suam Oriens ex alto revisitavit, & vesperi Lux relaxit, cum Potestas Sacra vindicata antiquo & justo Possessori, & restituta Magistratui Civili, idque per Pacis Passaviensis Beneficium, quo non jus indebitum collatum est, sed obex & sufflumen antiqui juris debiti remorum est; nec tantum suspensa est Episcopalis Potestas L. publica A. 1555. constituta §. **damit auch** x. ne exerceretur ab Episcopis Papisicis erga Confessores Augustanae Confessionis, sed quæ per Spolium olim ablata fuerat, vigore pacis reddita est Ecclesiis Augustanae Confessionis, quarum Domini Territoriales Rom. Imp. immediate subiecti sunt, ut ipsi, quod jure Divino debent & possunt, etiam citra remoram Papisarum possint in omnibus iis, quæ pridem Episcopi ἐν τοῖς ἰσῶ τῆς Εὐαγγελίας dispensare potuerunt. conf. Id. in Lact. Carech. p. 8. Conc. XI. p. 246. & seqq. Quid itaque prohibet dicere, suspensionem illam Jurisdictionis Ecclesiasticæ privative esse factam? Quicquid etiam Dillingenses Jcti hic in contrarium afferant, dicentes, aliud esse plane non habere Jurisdictionem, aliud, eam non exercere posse, adeoque suspensam esse. Dicerent enim aliquid, nisi jam non nudam suspensionem hic, sed cum translatione & restitutione justis possessoribus factam conjunctam esse intelligendam probaverimus, qua certe expiravit Pontificiorum quippe injutorum Possessorum Jurisdictione. Quod autem inquit, Imperatorem cum non potuisset adimere Jurisdictionem Episcopis a Pontifice concessam, solummodo ad eam exercendam sese obrulisse; impudens plane & Instrumento Pacis atque Pacificationi Religiosæ oppido contraria est Sententia.

§. V.

Instant Pontificii: inspiciendam hic ante omnia esse intentionem Paciscentium, qui quidem omnem moverint lapidem, quo sopirent discordias protestantes inter & Romano - Catholicos, earumque (ut ita loquar) semina extirparent; non autem id egerint, ut Dicecesanum omni Jurisdictione Ecclesiastica in Terris Protestantium privarent; utpote quod neque ex ipso Instrumento Pacis, neque præmissis conventionibus, vel literaliter & expresse, vel virtualiter & argumento alicujus vocabuli (ut ipsi loquuntur) erui possit. Respondeo; sit ita! Neque tamen etiam ante amicabilem & Christianam Dissidii Religionis compositionem, aut si omnino secutura sit, (quod tamen difficulter futurum demonstravi) post illam Dicecesanum in Jurisdictione illa, in Territoriis Augustanæ Confessioni addictorum restitui Paciscentes voluisse, demonstrari potest. Ergo perpetuo censetur privatus illa Jurisdictione, idque ex Intentione Paciscentium. Et si (uti ipsi fatentur Pontificii) Intentio Paciscentium ad id fuit directa, ut omnium discordiarum inter se & Protestantes intercedentium fundamenta destruerent, & extinguerent; subit mirari, quod ipsi subinde ejusmodi molimina suscipere non erubescant, quæ non modo prædictæ laudatissimæ intentioni e diametro contraria, sed & Instrumento Pacis, ex quo fundamenta eorum extruere satagunt, plane incognita sunt; quibus sane concordiæ incrementa nullatenus promoventur, sed discordiarum potius semina reviviscunt; Quale etiam est intentata illa in Terris Protestantium Juris Episcopalis Reviviscentia, atque prætensâ a Dicecesano Jurisdictionis Ecclesiasticæ Restitutio.

§. 6.

§. VI.

Ejusdem farinae est praesuppositum illud: quando Dominos Paciscentes, eo quod Laicos & A catholicos Juris Episcopalis ex natura sua incapaces judicaverint, ita, ut in eorum personis haud invenire possit, ube pedem radicaliter figeret; Jus Episcopale quoad Effectus saltem suspendisse contendunt, in tantum, ut Status A. C. illud ad interim solum & quoad Effectus ab illo dependentes, non nisi in suis Territoriis, nec indiscriminatum in omnes subditos, sed eos tantum, qui eandem profitentur Religionem, exercere possint, cum interim Romano-Catholicis Episcopis quoad radicem cum spe futurae consolidationis in omnes eorum Evangelicos Subditos; in Catholicos autem radicaliter simul & Effectively competat. Verum quam infirmo talo haec omnia subsistant, ad oculum demonstrabo, idque ordine: Prius itaque (quod quasi fundamenti loco caeteris figmentis substernunt,) quod concernit, apertae illud fictionis notam incurrit; Si enim Domini Paciscentes de eo dubitassent, an Laici & maxime Evangelici Episcopalis Jurisdictionis sint capaces, & an in eorum personis inveniat, ubi pedem radicaliter figat; sane Suspendio Jurisdictionis illius a Catholicis in ipsorum Territoriis satis diu cum maxime eorum injuria usurpatae, translative, cum pleno Effectu, ita, ut in partem Superioritatis Territorialis ipsis in eorum Ditionibus competentis iterum transferit, facta, secuta haud fuisset. Et quare Jurisdictio Episcopalis non inveniret in A catholicorum personis ubi pedem radicaliter figat? cum tamen radix illius sit Superioritas Territorialis, ex qua illud necessario fluit, & competit; id quod ex supra allatis manifestum.

§. VII.

§. VII.

Sponte sua itaque corrunt, quæ sequuntur, Instrumento quippe Pacis plane ignota: Ubi enim disponitur: Solos Protestantes nonnisi in suis Territoriis Juris Episcopalis exercendi facultatem habere; forsitan in §. *Jus Diæcesanum*, ubi hæc habentur: *Et intra terminos Territorii cujusque Jus Diæcesanum & Jurisdictio Ecclesiastica se contineat &c.* sed inspiciant quæso rectius hunc textum, & deprehendent, magis illum stringere Pontificios, quam Protestantes. Extra omnem enim dubitationem positum est, illam Jurisdictionem Ecclesiasticam hic intra Terminos Territorii se continere debere, quæ in antecedentibus dicitur suspensa, prouti connexio id infert; jam autem non protestantium sed Romano-Catholicorum Jurisdictio Ecclesiastica suspensa est; Ergo & hæc sola intra Terminos Territorii se continere, nec amplius se ad Territoria Protestantium & Augustanæ Confessioni addictorum, quippe contra quos est suspensa, ut antea, extendere hic jubetur. Minime itaque ea, quæ in favorem Protestantium disposita sunt, in ipsorum odium retorqueri convenit. Probatur hoc etiam ex statim subsequenibus verbis, in quibus habetur exceptio; quando illorum Jurisdictio Ecclesiastica intra Terminos Territoriales se continere non debeat, sed in Augustanæ Confessionis Statuum ditionibus quoque exerceri possit; quæ sane huc non quadraret, si antecedentia Jurisdictionem Ecclesiasticam Statuum Protestantium intra ditiones suas continendam inculcarent. Quid? quod Pontificiorum textus hujus explicatione admittitur, colligi exinde posset, quod, licet Status quidam Aug. Conf. addictus Anno 1624. in possessione vel quasi Exercitii Jurisdictionis Ecclesiasticæ extra

extra suum Territorium fuerit, hæc ipsi & simul omne Jus ante competens vi prædictæ Dispositionis iterum erepta sit; Id quod tamen cum dispositionis in præcedentibus §§. contentis vix conveniet, vid. §. *Terminus a quo* 2. §. *Quæcunque Monasteria &c.* 25. ibi: *Juræque quocunque ea nomina appellata fuerint, quæ Augustanæ Confessionis Electores, Principes, Status A. 1624. die 1. Jan. possiderunt, eadem omnia & singula sive retenta semper, sive restituta seu vigore bujus Transactionis restituenda iidem possideant, donec &c. non attentis Acceptionibus sive ante sive post Transactionem Passaviensem aut Pacem. Religiosam reformata & occupata, aut quod non de vel in Territorio Augustanæ Confessionis Statuum, vel exempla, vel aliis Statibus jure suffraganeatus atque Diaconatus aliaque quavis ratione obligata fuisse dicuntur &c.* Deinde etiam nullibi discrimen factum est inter Subditos Catholicos, & Evangelicos, ut saltem in hos non etiam in illos Jurisdictio competat Statibus Augustanæ Confessionis addictis; Sed hoc dispositum deprehendimus: Quod sicut Catholicorum Augustanæ Confessionis addicti Status Provinciales & Subditi, qui A. 1624. illorum Ecclesiasticam Jurisdictionem agnoverunt in iis casibus, qui Augustanam Confessionem nullatenus concernunt, modo dictæ Jurisdictioni adhuc subsint; ita quoque Augustanæ Confessionis Statuum Catholici Subditi sub eorum Jurisdictione Ecclesiastica esse censeantur, si eam An. 1624. agnoverint; per *d. §. Jus Diocesanicum.* verbis: *codem etiam jure &c.* Ad illud autem quod attinet, quod ad interim solum Statibus Protestantibus Jurisdictio Ecclesiastica sit concessa, istius falsitas ex jam præmissis abunde colligi potest.

F

§. IIX.

§. VIII.

Minus tantem officit discrimen illud Radicem inter & Effectus Juris Episcopalis Instrumento Pacis iidem incognitum. Unde enim demonstrare poterunt Pontificii, Jus Episcopale & Jurisdictionem Ecclesiasticam Episcopis Romanis ita competere, ut in alterius quam in ipsorum personis subsistere non possit; id quod intellectum volunt, quando dicunt radicaliter sibi mansisse Jus Episcopale & Jurisdictionem Ecclesiasticam in omnes omnino Augustanæ Confessioni addictos subditos in Ferris Protestantium. Si enim Radix Juris Episcopalis est Jus Superioritatis Territorialis, prout omnino est; hoc autem in Statuum Augustanæ Conf. Territoriis non competit Episcopis Romanis, sed illis ipsis Statibus, quippe qui a Romanis Regibus & Imperatoribus de territoriis iisque annexa Superioritate Territoriali investiti sunt; nullatenus sane dici poterit, Jus Episcopale suspensa per pacem Religionis & Instrumentum Pacis Jurisdictione Ecclesiastica Romanis Episcopis in vicinorum Statuum Imperii A. C. Territoriis quoad radicem salvum mansisse, & tantum quoad effectus h. e. Exercitium suspensum esse. Sed quoniam ipsa radix Iuris Episcopalis, Ius nimirum Superioritatis Territorialis penes illos vicinos A. C. Status remansit, Exercitio illius adempto, & Romanis Episcopis vindicato; non potest non, hoc per Pacificationem Religiosam & Instrumentum Pacis translative & cum pleno effectu suspensa, ipsis Ius Episcopale iterum ut antea pleno jure quoad radicem & effectus competere, ita ut sese in Exercitio rursus exferere possit.

§. IX.

Ac proinde verba *suspensa esto* &c. quæ pro se allegant Adversarii, nihil inferunt; Etposito, sed non concessio

cesso, ipsum Ius Episcopale non privative tributum esse Statibus Protestantibus; nondum tamen sequitur: Illud nonnisi Episcopis Romanis per istam suspensionem esse reservatum; Cum tum temporis æque ac nunc desiderata fuerit ab ipsis demonstratio, quod Ius Episcopale Episcopis Romano-Catholicis, ut Episcopis competat. Sed & insuper Instrumentum Pacis contrarium suppeditat: dicitur enim in allegato §. *Ius Diæcesanum &c. Jus Diæcesanum & tota Jurisdictio Ecclesiastica cum omnibus suis speciebus suspensa esto &c.* non: Iuris Diæcesani & totius Jurisdictionis Ecclesiasticæ effectus suspensi sunt. Et si Episcopis Rom. non competit Ius Diæcesanum in Catholicos A. C. addictorum Statuum Subditos, nisi hoc Anno 1624. quiete in ipsos exercuerint, ipsique publicum Religionis Catholicæ Exercitium habuerint; (quod a contrario sensu omnino sequitur ex eo, quando dicitur in §. *Ius Diæcesanum.* Salvum esse Ius Diæcesanum Episcopis in ipsos, si illud dicto Anno quiete in eos exercuerunt, & publicum ipsi Religionis Catholicæ Exercitium habuerunt) multominus illud Ius, ipsis radicaliter competet in Evangelicos dictorum Statuum subditos. Quibus præmissis tantum abest, ut quæ ex hac sua hypothesi certo fluere sibi persuadent, fore sc. ut tandem radix cum effectibus consolidetur, atque ita Ius Episcopale in personis Episcoporum Rom. reviviscat, subsistant; ut potius totum illud assertum ita nunc invertere liceat: Quoniam Ius Episcopale Statibus Imperii Secularibus maxime Evangelicis Pontificem pro Capite Ecclesiæ in his Terris militantis non agnoscentibus, vigore Superioritatis Territorialis competiit, ipsi ab ejus usu postmodum per injuriam exclusi omnino erant restituen-

fituendi, qua restitutione secuta radicem cum effectibus iterum unitam & consolidatam fuisse in aprico est.

§. X.

Ex prædictis proporro constat: nihil heic effici per surrogationem Subditorum Catholicorum in locum Evangelicorum in Territoriis Statuum Protestantium; cum nimirum vel ipsi sua sponte Romano-Catholicam Religionem amplectantur, vel eorum Defunctorum bona Romano-Catholicis concedantur. Si enim illi Catholici subditi publicum Religionis Catholice Exercitium An. 1624. non habuerunt, nec Episcopi Rom. Jus Diocesanicum & Jurisdictionem Ecclesiasticam in ipsos exercuerunt, per illorum substitutionem jura Episcopalia non reviviscunt; sed Dominus Territorialis eadem in ipsos salva retinet æque ac in Evangelicos suos subditos.

§. XI.

Cæterum non est cur negent Adversarii, obstare Statum, usum & observantiam A. 1624. quo minus Jus Episcopale & Jurisdictio Ecclesiastica contra Augustanæ Confessionis Status eorumque Subditos reviviscere possit. Cum singuli ferme articuli in Instrumento Pacis, & præfertim *art. 5.* ad illum sese referant, imo ille pro norma & regula universalis in omnibus religionem concernentibus constituatur, ut patet ex d. Art. V. *Terminus a quo &c. §. quæcunque Monasteria &c. vers. unicum solumque hujus &c. §. hoc tamen non obstante &c. §. pacta autem &c. ibi: quæ instar regula obtineat. §. a sola qualitate feudali &c. ibi: ex Statu Anni 1624. d. 1. Jan. perpetuo censeantur. &c.* Quæ cum certa sint, certissimum quoque erit, minime prætentam ab Episcopis Romano-Catholicis in Territoriis Aug. Conf. additorum Statuum Jurisdictionem Ecclesiasticam ne quidem in Catholicos eorum Subditos posse reviviscere; nisi illam A. 1624. in ipsos quiete

quiete exercuerint, vel Status Protestantes sponte sua jura remiserint; alias enim subverteretur ista norma atque regula heic observanda, & ipsius Instrumenti Pacis Dispositioni derogaretur. Quod ipsum agnovit. D. Schuz. in *Man. Pacif. quest. 10.* An autem ad primam Diem Januarii restringenda sit observantia dicti A. 1624. in Exercitio Religionis, nonnulli dubitarunt; dum quandoque primus Januarii cum A. 1624. quandoque solus annus, quandoque Annus cum quacunque ejus pare in Instrumento Pacis expresse observandus præcipitur. Verum attenta distinctione inter ipsa bona Ecclesiastica earumque Restitutionem & Religionis Exercitium, omnis cessabit difficultas, vid. Schuz. *l. c.*


§. XII.

Et hæc sunt potissima Adversariorum Argumenta, quæ pro statuminanda Iuris sui Episcopalis Reviviscencia proponunt; ex quibus cætera levioris momenti facili negotio dilui atque alia inde consecutura destrui poterunt. Cuilibet itaque constat, quomodo dirimenda sit illa Controversia: Num Dominus Territorii Evangelicus in quo habitant Subditi Status Romano-Catholici qui Augustanam Confessionem hætenus sunt professi, eo casu quo ad Romano-Catholicam Religionem tales accedunt, pati teneatur, ut ingrediatur Clericus ades eorundem, & Sacra ibidem tractet, quæ Anno 1624. non fuerunt in usu? Scilicet cum hæc pertineant ad Exercitium Religionis Catholice privatum, ex præcedentibus autem constet, observantiam Anni 1624. regulæ instar tam in publico quam privato Religionis Exercitio permittendo habendam esse, atque ita illud, si cui concedi debeat, dicto Anno liberum habuisse necessum sit, facile apparet, eo quod isti Subditi Anno 1624. Evangelicam

Re-

Religionem sint professi & postea demum Catholicam
 amplexi, Dominum Territorii Evangelicum ad ejusmo-
 di actus tolerandos haud teneri, quippe cujus jura intuitu
 reformandæ Religionis nullam aliam restrictionem agno-
 scunt, nisi quam sub observantia dicti An. 1624. circa ex-
 ercitiū Religionis Catholicæ publicum & privatum
 præcepta Instrumentum Pacis inculcat. Nec obest ꝯ
 placuit porro *art. 5. verb. patienter tolerantur, & con-*
scientia libera domi devotioni suæ privatim vacare &c.
non prohibeantur. Domi enim Devotioni suæ vacare
 non privatum Religionis Exercitiū, sed vitam tantum-
 modo quietam & tranquillam, a nemine religionis cau-
 sa turbandam atque Libertatem conscientiæ & vi hujus
 privatas meditationes, tacitasque de fide sua ruma-
 tiones tribuit. vid. D. Schuz. *qu. 11. & 18.* Hisce itaque
 pro ingenii viribus propositis vela contraho, Lectorem
 benevolū precatus, velit periculum hoc Academicum
 æqui bonique consulere, spe fretus indubitata, fore, ut
 prolixior istius atque accuratior diductio aliquando, si
 Deo placuerit lucem aspiciat. Interim *si quid bonis mo-*
ribus, si quid Legibus Imperii, si quid Mæstati Impera-
toricæ, si quid Principum ac Statuum Imperii Autoritati
atque Libertati, si quid ulli veritati dissentaneum di-
ctum fuerit, illud nec dictum volo. Tibi autem Supre-
 mum Numen, pro concessa gratia sit Laus,
 Honor, Gloria.

F I N I S.



Jena, Pisk, M-2 (..)

ULB Halle 3
004 754 662




7+Jd.
+27

TA-70L ↓

VO 17







Q. D. B. V.
DE

354/5
1689/20

**IURIS EPISCOPALIS
IN TERRIS PROTESTANTIUM
A ROMANO CATHOLICIS IN
IUSTE PRÆTENSIS**

P. 354.
REVIVISCENTIA

PRAESIDE

PETRO MÜLLERO ICTO.
CONSIL. SAX. PANDECT. PROFESSORE CURIÆ
PROVINCIALIS FACULTATIS JURIDICÆ ET SCABI-
NATUS ASSESSORE.

MENSE FEBRUAR. c15 15 C. LXXXIX

IN AUDITORIO ICTORUM

PUBLICICE DISPUTAVIT

PHILIPPUS GVILIELMVS DREES
PFEDELB. HOENLOICUS.

VITEMBERGÆ, RECUSA c15 15 CCXXXVII. (6.)

Jena

